



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**



Am tandem uides & Dauidem prophe-  
tam, dum psalmum canit superatis omni-  
bus suis inimicis, ex quo uides, ipso per  
spiritum dei prophetante, quo totum Da-  
uidis regnum respiciat, nempe in regnū Christi, de quo  
hic prædicitur, & non tam ipse Dauid quàm Christi  
spiritus hic loquitur, qua de re uide quid in psalmum  
hunc scripserimus, est autem. 17.

## CATVT XXIII.



N sine uitæ suæ spiritum dei per se locu-  
tum dicit, ut uideas quo loco habeas eius  
psalmos. de quibus Christus dicit, Opor-  
tet impleri quæ scripta sunt in lege &  
prophetis & psalmis de me. Et discipuli Act. 4. Tu spi-  
ritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti  
&c. Et præterea laudat gratuitam dei erga se miseri-  
cordiam & contra dei contemptores prophetat, suū  
scilicet regnum stabile futurum & aduersariorū re-  
gnum periturum. Inde fortes Dauid describuntur.

Cui &c.] Sic legas licet, Qui constitutus est Chri-  
stus dei Iacob, id est, quem constituit deus Israel in  
regem.

Dominatur.] lege dominator, deinde, Dominator  
in timore dei. i. cuius regnū illic est ubi est dei timor.

Nec tanta.] Male sunt hæc uersa. Sic lege, Ita

erit mea domus apud deū, nam pactū æternū mecum inijt firmum in omnibus atq; munitum, vt in oratione uideas completam similitudinem quam proposuit.

Cuncta enim. Sic lege. Hæc est enim omnis salus mea & omnis uoluptas q̄ hæc (scilicet domus mea) crescet.

Quæ non tolluntur manibus.

Id est, ex Heb. Ex quibus nihil seruatur residui.

Et si quis ] Elegantissima spinarū metaphora utitur. Hæc quæ nunc prophætatur, etiam ex sua historia didicerat, iam perduto Saulis & Absalonis regno, declaratur autem psalmo prædicto & hac prophætia quicquid ubiq; ferè allegorijs indicauimus, ut non tam figurat fuisse uideas quàm exempla, etiam & res ipsas de quibus hæctenus scriptum est.

Hæc nomina,] Hæc de fortibus Dauid scribuntur, ut uideas quam curam deus pro eo gesserit, dans ei uiros optimos, robustos animo, fortes utribus, prudentes, pios, idcirco Ioab qui multa insignia facta fecerat, non nominatur, quia impius erat, Contra ira dei est quando tales in regno non sunt. Esaiæ. 3. Ecce enim dominator & c. Dauid sedet. Vide in Paralip. Fortes Dauidis hic describuntur, non ipse Dauid, Pessime ergo hoc loco translaturum est. Dauid sedet & c. Ex Heb. autē sic lege. Iasabeam filius Hachmoni princeps inter tres, qui leuauit hastam suam & per

cusit octingentos una uice. Reliqua uide in translaticione D. Martini, Tres primi non habent similes, Post quos sunt tres alij, quibus non est aliquis similis inter triginta fortes, ut hi posteriores sint tribus primis, sed tamē præcedant triginta alios, atq; inter hos tres præcipuus est Abisai, ut & in Paralip. uides. Præterea Banaias à secretis Dauidis honoratissimus inter sequentes, ut quidem magnæ uirtutis, sed nequaquam similis tribus primis. Triginta uero dicuntur à numero maiori, nam quod superest parum non computatur, ut quãdoq; in scripturis uidere licet. Noluit] Condemnauit Dauid desiderium suum & uoluptatē periculo uitæ aliorū emptam, Effudit eam domino, qui uiros seruauerat &c.

## CAPVT XXIIII.

**N**ihil tutum non seruante deo, Securitatē carnis, scriptura ubiq; damnat, dū non timetur deus. Quia uero Israëlita tam sæpe impie egerant sub Saule, sub Absalone, neq; peccata agnoscebant, agētes sine timore, coguntur tandem uel percussi agnoscere iniquitatem. Atq; ut hoc faciat deus, deserit bonum Dauidem & eū agit spiritu malo, ut grauius peccet, unde populus peccat, grauius peccasse, grauis ira dei testatur, ut non mireris si per impios principes mala effundat domi-